



## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodière

Qvi ... Illas Omnes Complectitvr Historias, Qvæ Post Secvndam Sex  
Tomorvm Editionem ...

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1586**

**VD16 ZV 1269**

De S. Perpetuo Episcopo Turonensi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77432)



# APRILIS.

VITA EGESIPPI VIRI SANCTI SIMI, PER BEATVM HIERONYMV M PRESBYTERVM DESCRIPTA. HABETVR IN LIB. eiusdem de Viris illustribus, cap. 32.

7. Aprilis.

S. Egesippus 5 libros edidit.

Quando vixerit.



EGESIPPVS vicinus apostolicorum temporum, & omnnes à passione Domini vsque ad suam ætatem ecclesiasticorum actuum texens historias, multa que ad vilitatẽ legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros composuit, sermone simplici, vt quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem. Aserit se venisse sub Aniceto; Romam, qui decimo post Petrum Episcopus fuit, & perseverasse vsque ad Eleutherium eiusdem vrbs Episcopum, qui Aniceti quondã diaconus fuerat. Præterea aduersum idola disputans, ex quo primum errore creuissent subtexit historiam, ex qua ostendit, qua floruerit ætate.

Ait enim: Tumulos mortuis templa que fecerunt, sicut vsque hodiẽ videmus, & quibus est & Antinous seruus Hadriani Cæsaris, cui & gymnicus agone exercetur apud Antinoum ciuitatem, quam ex eius nomine condidit, & statuit prophetas in templo. Antinoum autem in delicijs habuisse Cæsar Hadrianus scribitur.

De Egesippo plura habentur lib. 4. Eccles. hist. Eusebij, capitibus 8. &c.

## DE SANCTO PERPETVO TURONENSI EPISCOPO, VT HABETVR II. LIBRO HISTORIAE Francorum S. Gregorij Turonici, Cap. 14.

Aprilis 8.

S. Perpetuus submotam cellula S. Martini per grandem ecclesiam extruit.



PVD vrhem verò Turonicam defuncto Eustochio Episcopo, decimo septimo sacerdotij sui anno, quinto post beatum Martinum Perpetuus ordinatur. Qui cum virtutes assiduas ad sepulcrum eius fieri cernebat, cellulam, quæ super ipsum fabricata fuerat, videns paruulam, indignam talibus miraculis iudicauit. Quam submotam, magnam ibi basilicam, quæ vsque hodiẽ permanet, fabricauit. Quæ abest à ciuitate passus quingentos & quinquaginta, habens in longum pedes cxx, in latum lx, in altum vsque ad cameram pedes xlv, fenestras in altario xxxij, in capso xx, columnas xlv, in toto ædificio fenestras liij, ostia octo, tria in altario, quinque in capso. Solennitas autem ipsius basilicæ triplici virtute pollet, id est, dedicatione templi, translatione corporis sancti, ordinatione eius Episcopatus. Quæ si fideliter seruaueris, & in presenti seculo, & in futuro, patrocinia beati Antistiti promereberis. Et quoniam camera cellulae illius prioris eleganti opere fuerat fabricata, indignum duxit sacerdos vt opera eius deperirent, sed in honorem Apostolorum Petri & Pauli aliam extruxit basilicam, in qua cameram illam affixit. Multas & alias basilicas ædificauit, quæ vsque hodiẽ in Christi nomine constant.

Item alia in honore SS. Petri & Pauli.

SURIUS

q. ber  
nober  
RVIII  
5

VITA